CANDIDE LECTOR.

FAbulas, quas Homeri, Ovidii, Virgilii aliorumq; celeberrimorum Poëtarum Sapientia excogitavit, semper aliquid vel Physici vel Moralis occultare, non solùm apparet ex *Joach. Camerarii Fabell. Æsopicis*, *Phil. Cæsii Assenat*, ut & *Prioravia* seu Lob des Vaterlandes/nec non *Anonymi* cujusdam *Medici Cizensis Delic. Medic. & Chirurgic. Præsentat. IIX. p.* 635-638; sed suo jamjam tempore testatus est judiciosissimus Angliæ Cancellarius, *Baco de Verulamio*, *Tract. de Sapient. Veter. Fab.* 28. *p. m.* 1286., dum rationes, physicas pariter ac morales, cur veteres PoëtæMusisOlympum,Helicona aliosque montes attribuerint,sequentibus verbis explicavit: *Omnis scientia*, inquit, *collocata videtur in arduis & editis montium. Nam res sublimis merito putatur, & excelsa, & ignorantiam tanquam ex superiore loco despiciens, atque etiam late & undequaque speculatur & prospicit, ut in verticibus montium fieri solet.* Id ipsum & nostro hoc tempore Scientiæ accidit Physicæ, solidis ac experimentalibus principiis, tam chymicis & mechanicis, quàm spirituosis seu magicis, nitenti. Despicit hæc Democriteo quasi risu quodam ignorantis vulgi ineptias, Mirabilium illorum Augustinianorum & Homileticorum Scriptorum miracula & portenta, abstractivas eruditorum chimæras, & multis abhinc seculis juratas Patrum & Præceptorum propagatas loquendi formulas, sophisticas sermocinationes, logicas & me-